



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Pastorale Missionariorvm

Verjuys, Jean-Baptiste

Antverpiæ, 1682

8. Vtrùm liceat nuptias hæreticorum honorare suâ præsentîâ aut aliquo munere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41565**

## DE MATRIMONIO. 449

Ex his etiam patet ad aliud dubium quod ab aliquibus movetur, utrum Catholicus licite ducat sponsam ad Ecclesiam ut ibi coram ministro contrahat. Si enim illa actio contrahendi non sit de se mala, multò minus ductio sponsæ ad illam actum. Dices: quod saltem non erit licitum ducere ad Ecclesiam Sponsam hæreticam, quæ non contraxit coram Parocho, nec coram illo contrahere intendit, quia tale matrimonium invalidum est. Resp. Hoc per accidens esse quod non contrahat aut contrahere velit secundum formam Conc. Trid. ducens enim sponsam ad Ecclesiam ad hoc nullatenus cooperatur, sed tantùm ad actionem quam etiam facere potest Catholicus.

### ARTICULUS VIII.

*Utrum liceat nuptias hæreticorũ honorare suã presentia aut aliquo munere?*

**H**oc dubium bis movet Lessius, semel ubi supra casu 26. & iterum tit. Mar. casu 18. Intelligimus autem quæsitum quando matrimonium tantùm fuit contractum coram hæretico Ministro, & non coram Parocho.

Pro parte negativã. Arg. 1. qui sui præsentia aut munere honorat nuptias matrimonii sic contracti, censetur ipsum approbare & congratulari novis nuptis de re mala, intrinsicè, videlicet de conjunctione fornicaria quod licitè fieri non potest.

2. Vix

## 450 TRACTATUS XIII.

2. Vix fieri hoc potest sine scandalo, præsertim si vir magnæ doctrinæ & auctoritatis fuerit, unde Catholici facillè colligerent quòd ipse suâ præsentia & munere illum contractum approbaret.

Resp. tamen affirmativè : Quia talis actio omninò est indifferens, nec talia convivia instruuntur pro approbatione talis matrimonii, sed potius ad servandâ amicitiam inter amicos & consanguineos, & ita non est fundamentum dicendi hoc esse per se malum. Nec sequitur quòd sic approbet istud matrimonium, cum ipsi displicere possit ex aliis motivis, eo modo quo si aliquis adesset convivio consecrationis alicujus Abbatis simoniacè promoti, per hoc non approbaret actionem simoniacam.

Et sic patet solutio 1. Arg. Ad 2. etiam dicitur quod si scandalum aliquod esset, in illo casu esset illicitum.

Nullum tamen ex se involvit scandalum, si res bene inspiciatur, maximè in partibus Hollandiæ & aliis confœderatis Provinciis, ubi nemo inde acciperet occasionem scandali.

Improbandum tamen esset si Religiosus aut aliquis Sacerdos circa gravem causam illas nuptias honoraret, facilius enim inde occasio scandali sumeretur. Si autem matrimonium antea contractum fuerit coram Parocho aut alio habente facultatem, nulla est difficultas, uti patet ex supra dictis.

TRAC